



Heroicarvm Et Ecclesiasticarvm Quaestionvm Libri VI.

Sex libris prioribus universa Regalium, Iurisdictionis Ecclesiasticorum
Temporalis Et Constantinianae Donationis ratio discuritur ... contra
profanas & vanas cuiusdam Bodini novitates

De Satvrnino Permvttationis Beneficialis (Etiam Triangvlaris) - iure
Commentarius ad omnes Pontificum Constitutiones hûc pertinentes;
contra sceleratas & impias Ecclesasticorum beneficiorum mundinationes &
heriditarias quasi successiones

Epo, Boetius

Duaci, M.D.LXXXIIX.

181 Quidsi beneficia primu[m] vacatura debea[n]tur aliis quàm
Expectatibus Pontificiis, an huic Bonifacianæ sit locus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61721](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61721)

iudicio suae gratiae expectatiuae, ita ut nulla sibi possit obijci negligentia in acceptando; veluti si quis tertius in fraudem expectantis beneficiolum aliquod admodum tenue resignauerit ut ipsemet vel alius consequeretur beneficium quoddam pinguius quod propediem spectatur vacaturum. qualis ars & hic obiter indicatur & in c. ult. §. de renunc. apertissime detegitur. In summa, variè contingere potest ut expectans expectatione sua frustretur, immò morte praeueniat alias omnes quorum ipse mortem expectabat. haud absimiliter apud Horatium

*Rusticus expectat dum defluat amnis, at ille
Labitur & Libetur in omne volubilis aenum.*

Iam videamus quid si beneficia omnium primò vacatura non debeantur expectantibus istis Pontificiis (quos pone nullos amplius esse) sed aliis aliquibus; ecquid haec Bonifaciana constitutio ad illa quoque beneficia pertinebit, an potius frustrabuntur permutantes iuxta iuris regulam cuius hic fit mentio? ne res careat exemplis, demus aliquot satis illustria. primò, quaedam beneficia singulariter sibi soli reseruauit Summus Pontifex conferenda, veluti quae contingit vacare vel in ipsa curia Romana vel in itinere Romam versus c. pro illorum. de praebend. d. c. 2. de praebend. c. execrabilis. de praebend. in Extrauag. Ioann. 22. & c. execrabilis. de praebend. in Extrauag. com. quod vnum est idemque cum superiore. secundò, beneficia proximè vacatura nonnunquam cedunt optioni

g iij seu

180
Expectans
rusticus Ho-
ratianns.

181
Quid si bene-
ficia primò
vacatura de-
beantur aliis
quam talibus
Expectanti-
bus Pontifi-
cis, an huic
Bonifacians
sit locus.

182
Reseruata
benef.

183
Optio senio-
rum.